

Id est:

Qui secundum instituerit Majoratum, etiam nostra auctoritate, aut Regum nostrorum successorum, sive ratione contractus, sive quavis alia ultima voluntate, possit institutum revocare suo arbitratu; nisi qui per contractum inter vivos illum instituerit, rerum, aut rei in Majoratus contenta possessionem tradiderit ei in quo illum constituit, aut alteri potestatem suam habenti; aut illius Scripturam coram tabellione; aut si pradicatus contractus Majoratus factus fuerit propter causam onerosam cum alio tertio, ut ratione matrimonii, aut propter similem aliam causam: Nam in ejusmodi casibus precipimus ut revocari non possit, nisi in potestate licentia à Rege concessa esset clausula ut institutum posset postea revocari, aut si cum fuit institutum, institutor in eadem institutionis Scriptura reservasset sibi potestatem eum revocandi: nam in ejusmodi casibus precipimus ut revocare illum possit.

Nota dispositionem hujus textus; cujus materia declaratur in leg. 17. supra eodem, & ideo hic non repeto.

TEXT. XLV.

Andamos, que las cosas que son de Mayoralgo, agora sean Villas, ó Fortalezas, ó de otra qualquier calidad que sean, muerto el tenedor del Mayoralgo, luego, sin otro acto de reprehension de posesion se traspasse la possession civil, y natural en el siguiente en grado, que segun la disposicion del Mayoralgo debiere succeder en él, aunque haya otro tomado la possession de ellas en vida del tenedor del Mayoralgo, ó en el muerto, ó el dicho tenedor le haya dado possession de ellas.

Id est:

Precipimus, ut res que sunt Majoratus, sive Oppida sint, sive Arces, aut cujusvis alterius qualitates; defuncto Majoratus possessore, statim absque ullo alio reprehensibilis possessionis actu, civilis, & naturalis possessio transferatur in sequentem in gradu, qui juxta dispositionem Majoratus successurus in eo est, etiam si quisquam alius possessionem earum vivente Majoratus possessore ceperit, aut defunctus, sive possessor earum possessionem ei tradiderit.

COMMENTARII

In Legem XLV.

SUMMARIUM.

- 1 Possessio naturalis, & civilis per legem ipso jure transit in successorem Majoratus?
- 2 Quid sit dominium?
- 3 Dominium in rebus vacantibus à jure civili non esse immutatum?
- 4 Quibus modis acquiratur dominium de jure civili in rebus immobilibus?
- 5 Definitio domini?
- 6 Quid sit detentatio?
- 7 In quibus actibus quaratur tantum sola nuda detentatio?
- 8 Quando res traditur ex causa vel titulo non habili ad transferendum dominium tunc quaritur detentatio?
- 9 Quando judicis auctoritate causa custodia vel juris conservandi datur aliqua res mea, quaritur detentatio?
- 10 Quando persona est incapax possessionis, tunc in eo transit detentatio: ut in servo.
- 11 Quando quis tantum habet detentationem in re, an possit usucapere, & an habeat possessoria si turbatur in detentatione?
- 12 Si detentator turbatur in sua detentatione, an habeat officium judicis nobile?
- 13 Si verus Dominus possessionis sit præsens, an detentator possit istud officium judicis intentare?
- 14 In detentatione juris incorporalis, an detentatori competat istud officium judicis?
- 15 Ista detentatio facti, an retineatur animo in absentia?
- 16 Si detentator sit in conspectu, vel de proximo, an conservet detentationem?
- 17 Quid sit possessio, & ejus definitio?
- 18 Possessio an dicatur jus?
- 19 Quotuplex sit possessio?
- 20 An in querenda possessione requiratur causa vel titulus?
- 21 In acquirenda possessione per actum fictum, an requiratur causa vel titulus?
- 22 Intellectus ad leg. Qui bona fide. ff. de Adquirenda possessione?
- 23 Ex inutili & invalido contractu, an transferatur possessio?
- 24 Si quis tradat possessionem alteri, & illi non potest dari ex legis dispositione, an tradens perdat etiam possessionem?

- 25 An ex contractu facto à minore sine decreto transferatur possessio?
- 26 Si bona Majoratus alienantur, an ad accipientem transeat possessio?
- 27 Contractus simulatus an valeat? & si ex tali contractu sequatur traditio, an transeat possessio?
- 28 An tradens possessionem ex contractu simulato perdat possessionem vel non?
- 29 An ex inutili & invalido contractu transferatur possessio per actum fictum?
- 30 Quando contractus principalis non valet, an valeat aliqua clausula in eo posita?
- 31 Contractus licet sit invalidus, tamen si habet spem convalentia, bene potest ex tali contractu transferri possessio?
- 32 Per quos actus quaratur possessio?
- 33 An requiratur semper corpus & animus ad querendam possessionem?
- 34 Actus corporis qui dicantur naturales?
- 35 Ad hoc ut quaratur possessio in toto fundo, an sufficiat intrare unam glebam fundi?
- 36 Intellectus ad leg. 3. ff. de Acquir. possess.
- 37 Quibus modis quaratur possessio in servitutibus & juribus incorporalibus?
- 38 Si sunt plures fundi diversi & distincti, an per ingressum unius fundi quarantur omnes alii fundi?
- 39 Si quilibet fundus suo distincto nomine nominatur, an per ingressum unius quaratur possessio in omnibus, licet omnes sint ejusdem naturæ & qualitatibus?
- 40 Si quis quarat possessionem domus, an per hoc videatur querere possessionem in omnibus rebus mobilibus in domo existentibus?
- 41 Si quis cogitabat se habere possessionem in aliquo fundo, & intravit in fundum causa continuandi possessionem, an ex tali actu quarat possessionem de novo?
- 42 Qualiter quaratur possessio in jurisdictione?
- 43 An una possessio possit dari sine alia?
- 44 An ille qui acquirit possessionem possit querere unam quam vellet, prosternendo se tantum illam velle acquirere?
- 45 Per quos actus fictos quaratur possessio; & primus est per visum & aspectum oculorum.
- 46 Per visum & aspectum oculorum non possunt acquiri ea qua Cælo, mari, terraque capiuntur?
- 47 Ille qui invenit thesaurum, an acquirat possessionem ejus per visum & aspectum oculorum?
- 48 Si statuto cavetur quod inventus cum armis perdat ea, intelligitur si fuerit apprehensus cum eis?
- 49 Si quis prohibeatur portare aurum, vel res pretiosas, vel perlas, an possit portare perlas fictas?
- 50 Si in domo quis portet vestes prohibitæ, an incidat in pœnam?
- 51 Si quis inveniat thesaurum, an totus thesaurus sit ejus vel pro qua parte?
- 52 Si quis inveniat thesaurum in loco Principis, vel loco publico, vel in loco Ecclesiæ, an inventor habeat aliquam partem ejus?
- 53 An tutor, curator, vel procurator alicujus possit transferre possessionem per actum fictum?
- 54 An executor judicis possit in aliquem transferre possessionem per actum fictum?
- 55 Hæres postquam est factus dominus, & ante apprehensam possessionem si vendat aliquam rem hereditariam, an transferat possessionem in ea per actum fictum?
- 56 Secundus actus per quem transit possessio est per traditionem instrumenti?
- 57 An requiratur traditio instrumenti novi vel antiqui, ut transeat possessio?
- 58 An requiratur quod res qua traditur per instrumentum sit præsens?
- 59 Si quis simpliciter tradit alium instrumentum per quod ipse habet possessionem alicujus rei, an per hoc videatur ei tradere possessionem ejus?
- 60 Tertius actus fictus per quem transit possessio, est per traditionem clavium.
- 61 Ad hoc ut per traditionem clavium quaratur possessio, an requiratur quod traditio fiat in præsentia domus vel loci in quo res sunt?
- 62 Si quis donat vel vendit habenas equi, an per hoc videatur donatus vel venditus equus?
- 63 Quartus actus fictus est per retentionem usufructus.
- 64 Si venditor reservat sibi proprietatem, & alteri concedit usumfructum, an in ea transferat possessionem?
- 65 Intellectus ad textum in leg. Quisquis, Code de Nation.
- 66 Quintus actus vel modus fictus est per conductionem rei.
- 67 Si colonus post mortem domini possessoris concludit ab hærede, vel ei solvit pensionem, an per hoc acquirat possessionem?
- 68 An requiratur quod conductio fiat in præsentia domus vel rei, ut acquiratur possessio?
- 69 Sextus actus fictus per quem transit possessio est quando concedo detentatori habere rem meam, mediante aliquo titulo.
- 70 Si concedo tibi rem meam mediante aliquo titulo novo, an transeat in te possessio in absentia rei?
- 71 Si ille qui concessit titulum ignorabat rem esse

- esse penes acquirentem, an in eum transeat possessio?
- 72 Si res sit penes aliquem, & ei sit dimissa virtute transactionis, an possit usucapere?
- 73 Si ab illo penes quem res est dimissa ex causa transactionis sit evicta, an actor qui dimisit teneatur de evictione?
- 74 Septimus actus fictus per quem quaritur possessio, est per appositionem custodis.
- 75 Verus intellectus ad leg. Quarundam rerum. ff. de Acquirend. poss.
- 76 Octavus actus fictus per quem quaritur possessio est per assignationem rei.
- 77 Si animal habet signum meum quo ego utor signare, an censeatur meum?
- 78 Nonus actus fictus per quem quaritur possessio est per clausulam constituti.
- 79 Si constituens possidet tantum naturaliter, an transferat illam solam naturalem possessionem; & idem si habeat civilem tantum?
- 80 An per clausulam constituti transferatur possessio in absentia rei?
- 81 Si quis habet possessionem quasitam per actum, an possit istam possessionem transferre per clausulam constituti?
- 82 An requiratur quod ille, in cuius favorem sit constitutum, sit prasens?
- 83 Si ille, in cuius favorem fuit positum constitutum, sit absens, & antequam ratum habeat constituens, tradat alteri possessionem, quis praeferatur?
- 84 An requiratur quod constituens possideat, ad hoc ut in alium transferat possessionem?
- 85 An requiratur quod ille in quem transfertur possessio per clausulam constituti, probet constituentem habere possessionem tempore constituti?
- 86 Intellectus ad textum in leg. penult. Cod. de Non num. pecun.
- 87 Si clausula constituti reperitur in instrumento antiquo, an ex hoc censeatur probata possessio?
- 88 An procurator possit transferre in aliquem possessionem per clausulam constituti?
- 89 Si quis constituat se post mortem possidere, an transferat in alium possessionem?
- 90 Si ille qui constituit tantum habet nudam detentionem, an per clausulam constituti transferat eam in eum? & quis sit effectus?
- 91 An procurator, tutor vel curator possit domino suo acquirere possessionem per actum fictum?
- 92 Si quis vendat rem suam alicui, & ei tradat possessionem per clausulam constituti, & postea eandem rem vendat & possessionem verè tradat, an praeferatur?
- 93 Si res sit vendita primo sub conditione, & sub ea fiat constitutum, & pendente conditione secundo sit tradita possessio verè, quis praeferatur?
- 94 Si emphyteuta vendit rem emphyteuticam sine consensu domini, & non tradit, an cadat à jure suo?
- 95 Si emphyteuta tradat rem fictè, an incidat in penam?
- 96 Incertitudo, an, & quando vitiet possessionem?
- 97 Possessio, an quaratur ex pluribus causis vel titulis?
- 98 Dominium plenum & perfectum rei, an & quando possit dari ex pluribus causis?
- 99 Possessio, an possit esse penes plures in solidum?
- 100 Qua persona habeant solam possessionem naturalem, & qua habeant solam civilem?
- 101 Possessio jam quasita qualiter perdatur?
- 102 An & quando per absentiam amittat quis possessionem?
- 103 Possessio perditur morte, & non transit in hereditatem jacentem, sicut dominium.
- 104 Civilis possessio amissa statim consolidatur cum naturali.
- 105 Civilis possessio est illa qua causat prescriptionem.
- 106 Civilis possessio est illa qua causat acquisitionem fructuum.
- 107 Naturalis possessio quando est sola sine civili, retinetur animo.
- 108 In rebus mobilibus qualiter quaratur possessio?
- 109 An & quando possessio jam quasita possit retineri per alium?
- 110 Differentia inter dominium & possessionem?
- 111 An lex vel statutum possit disponere, quod transeat possessio sine aliquo actu apprehensionis?
- 112 Si successor majoratus sit infans vel furiosus, an in eum transeat ipso jure possessio?
- 113 An possit per legem induci, quod ista possessio transeat in hereditatem jacentem?
- 114 An illa possessio qua transit in successorem per legem sit eadem, & possessio qua erat penes defunctum?
- 115 Si successor Majoratus, in quem transfertur possessio per legem, pervenit in veram actualem possessionem, an desinat statim habere legalem possessionem?
- 116 An ista lex 45. habeat locum in quibuscumque bonis vinculis, & subjectis restitutioni?
- 117 An ista lex 45. habeat tantum locum in pri-

- di in quem fit transmissio hereditatis?
- 118 Si res Majoratus sint penes alium, & qui habeat eas negat & recusat earum restitutionem, qua remedia competant contra ipsum?
- 119 Quando res Majoratus sunt penes alium, an detur successori remedium recuperanda?
- 120 Si res Majoratus sint penes alium, an detur successori remedium retinenda possessionis?
- 121 Qui sit effectus, ut successori Majoratus magis competat remedium retinenda, scilicet, uti possidetis, quam recuperanda?
- 122 An agenti interdicto, uti possidetis, obstat exceptio domini?
- 123 An successor Majoratus possit intentare petitionem hereditatis contra tertium detentatorem?
- 124 An successor Majoratus possit propria auctoritate bona auferre à tertio detentatore?
- 125 Duo vel plures dicunt & contendunt se successores Majoratus in solidum, & inter eos est maxima contentio, taliter quod sperabatur rixa, quid faciat iudex?
- 126 Si duo vel plures asserunt se successores Majoratus, quid faciat iudex; & an possit ponere res in sequestro?
- 127 Effectus possessionis legalis, & an competant pro ea remedia possessoria?
- 128 Interdictum adipiscenda, an competat successori Majoratus, vel ei qui habet à lege possessionem?
- 129 An istud interdictum competat contra debitores hereditarios personaliter obligatos?
- 130 Interdictum quorum legatorum, an & quando competat?
- 131 Istud interdictum quorum legatorum, pro quibus rebus competat?
- 132 Intellectu ad textum in leg. Non est dubium, Cod. de Legatis?
- 133 Si legatarius occupat rem legatam propria auctoritate, an incidat in penam?
- 134 Edictum divi Adrian. tollen. quid sit, & quando competat?
- 135 An lex fin. de Edict. divi Adrian. tollen. habeat locum in testamento nuncupativo?
- 136 Remedium legis final. an competat heredibus universaliter instituto?
- 137 Legatum relicum in testamento, an habeat executionem paratam?
- 138 An illa lex fin. competat fideicom. universali?
- 139 An illa lex Competat substituto pupillari vel vulgari scripto in testamento?
- 140 Remedium illius leg. fin. An competat heredi in quem fit transmissio hereditatis?
- 141 An illa lex fin. competat heredi qui venit per jus accrescendi?
- 142 An illa l. fin. competat patri vel domino qui venit ex persona filii vel servi?
- 143 An beneficium illius legis fin. competat filio tacite instituto à matre, qua decessit in puerperio?
- 144 Hares potest mitti in possessionem per l. fin. de Edicto divi Adriani toll. etiam si hares non probet mortem defuncti?
- 145 An ad hoc ut hares possit mitti in possessionem virtute l. fin. requiratur quod testamentum non sit cancellatum?
- 146 An requiratur quod cancellatio corrigatur vel emendetur in corpore instrumenti?
- 147 Si appareat legitimus contradictor, an impediatur missio?
- 148 Si duo testamenta contraria appareant, quod illorum praeferatur?
- 149 Limitationes ad praedictam l. fin.
- 150 Quis sit legitimus contradictor?
- 151 Quis sit iudex competens ad dandam possessionem per legem fin.
- 152 Differentia inter remedium l. fin. & inter remedium quorum bonorum?
- 153 Remedium petitionis hereditatis cum competat?
- 154 Ista petitio hereditatis, an competat omnibus heredibus?
- 155 Quomodo ista petitio hereditatis competat heredi universali?
- 156 Petitio hereditatis pro quibus rebus competat?
- 157 An petitio hereditatis competat pro rebus quas defunctus detentabat?
- 158 Petitio hereditatis, an detur contra possidentem totam hereditatem?
- 159 Si hares accumulet rei vindicationem cum petitione hereditatis, an possit agere contra tit. possidentem?
- 160 Quando detur petitio hereditatis tit. possidenti?
- 161 Petitio hereditatis solum competit contra eum, qui possidet vel detentat rem sine titulo?
- 162 Si petitio hereditatis poterat intentari contra aliquem qui simpliciter possidet sine tit. eo mortuo, an possit intentari contra ipsum heredem?
- 163 Titulus qui fuit acquisitus post mortem defuncti, an excludat petitionem hereditatis?
- 164 Ista petitio hereditatis, an competat post apprehensionem rerum hereditariarum, vel ante?
- 165 Qualiter debet intentari ista petitio hereditatis?

- 166 Intellectus ad textum in l. 4. de Petit. hered.
 167 Differentia inter petitionem hereditatis, & inter remedium quorum bonorum?
 168 Interdictum uti possidetis quid sit? & pro quibus competat?
 169 Si possidet vi, clam, vel precario, an ei competat istud interdictum, uti possidetis?
 170 Contra quas personas competat istud interdictum, uti possidetis?
 171 Si reus conventus isto interdicto, uti possidetis numquam molestavit actorem, an actori competat istud interdictum?
 172 An istud interdictum competat pro quasi possessione annua praestationis?
 173 Quid debeat petere & concludere actor, ut obtineat in hoc interdicto?
 174 Quid debeat principaliter actor probare in hoc interdicto?
 175 Quis sit effectus & natura hujus interdicti?
 176 An reus condemnetur ad interesse in hoc interdicto?
 177 Si actor intentavit istud interdictum, & reus fuit absolutus, & postea reus molestat actorem, an ad hoc possit iterum intentare istud interdictum?
 178 Si hoc interdictum intentatur, & uterque litigantium pretendit se possidere, qualiter iudex proferat sententiam?
 179 Si uterque litigantium probat se possidere in solidum eodem jure possidendi per testes omnino aequales numero & dignitate, & de aequali tempore possessionis, quid faciat iudex?
 180 Quid sit interdictum recuperanda, & effectus ejus?
 181 Quid requiratur ad hoc ut competat istud interdictum recuperanda?
 182 An agenti interdicto, unde vi, obstat exceptio domini?
 183 Spoliatus quod ante omnia sit restituendus.
 184 Spoliatus an sit restituendus, si sit absens?
 185 Istud interdictum, an transeat ad heredes & contra heredes?
 186 Interdictum unde vi, an detur contra particularem successorem?
 187 Quando intenditur remedium leg. Si quis in tantam, Cod. Unde vi.
 188 Remedium l. fin. Cod. Unde vi, quando competat?
 189 An lex fin. Cod. Unde vi, procedat tam in

- re mobili, quam in re immobili?
 190 Quando possit possessor de facto resistere ei qui dicit se spoliatum esse sua possessione?
 191 Interdictum unde vi, an competat pro rebus incorporalibus?
 192 Si res quam ego antea possidebam reperitur penes alium, an per hoc videatur quod ille possidet vitiose vel clandestinè?
 193 Qualiter probetur possessio?
 194 An in iudicio possessorio admittatur appellatio?

NOta singulariter ex ista lege, quòd in rebus majoratus, mortuo possessore vel detentatore majoratus, ipso jure transit utraque possessio, tam civilis, quam naturalis in sequentem successorem, sine aliquo actu vero vel ficto, licet penes alium tertium sit possessio in vita possessoris vel detentatoris majoratus.

Pro cujus perfecta declaratione dico & praesuppono, quòd aliud est Dominium, aliud est Detentatio, aliud Possessio. Dominium, attentò jure primævo naturali post creationem mundi & generis humani, nulli quærebatur, sed ratione simplicis usus bona erant communia: postea verò de jure gentium, quod vocamus naturale secundarium, divisa & distincta sunt dominia rerum immobilium, quæ in communi possidebantur; & quæ postea de novo inveniebantur, vel apprehendebantur, efficiebantur occupantis: mobilia verò, quæ Cælo, Terra, Marique capiebantur, de utroque jure efficiebantur occupantis; text. est in cap. Jus naturale, & in cap. Jus gentium, 1. distinction. text. in cap. Delectissimis caus. 12. quæst. 1. text. in leg. 1. ff. de Acquir. rer. dom. text. in leg. 1. ff. de Acquir. poss. text. in leg. Ex hoc jure. ff. de just. & jur. text. in §. 1. & in §. Singulorum, & in §. Ferrè, cum aliis, instit. de rerum division. text. in leg. 10. cum plurib. aliis, tit. 28. 3. part. & ita tenet & declarat Paul. de Castr. in dict. leg. Ex hoc jure. ff. de just. & jure 6. column. in fin. dicens, sic ab alio non esse dictum nec investigatum; sed ante ipsum ita voluit ibi Alber. 2. column. num. 4. & DD. antiqui tenet etiam & declarat Innoc. in cap. Quod super. de Voto, & ibi Hostiens. Joan. Andr. & alii DD. idem Hostiens. Joan. Andr. & communiter DD. in cap. 1. de Summa Trinit. & Fide Cath. tenent etiam DD. in dict. leg. 1. ff. de Acquirend. possess. (A)

Ex

(A) Non solum pisces, sed & ea quæ in mari projiciuntur: quæ, cum plerumque jactata præsumantur derelinquendi animo, occupantis fiunt, nec furti actione tenebitur text. in leg. Falsus 44. §. Jactum. ff. de Furtis, preterquam, si is qui bona jactavit, animum derelinquendi ea non habeat; ut puta, si propter tempestatem levandæ navis gratia projiciat: quo casu dominium eorum apud

2 Ex quo subtiliter potest inferri, quòd hodiè istud jus potest servari & practicari in terris & bonis immobilibus vacantibus & à nemine occupatis; nam si reperiantur aliqua bona immobilia vacantia, quæ non reperiuntur ab aliquo possessa, statim fierent occupantis; ita tenet & determinat Aretin. in dict. leg. 1. ff. de Acquir. end. possess. 1. column. 2. notabili. idem Aretin. in leg. Rem qua nobis, eod. tit. 1. column. idem Aretin. dicens se ita consuluisse Mantuæ, in consil. 15. 2. column. & ante ipsum tenet Bald. in rubr. extra, de præscript. 2. column. num. 6. contrarium tamen tenet Socin. in dict. l. 1. ff. de Acquir. possess. 3. column. in med. Imò, quòd postquam bona immobilia & dominia eorum fuerunt de jure gentium divisa & appropriata, præsumuntur esse in dominio alicujus, & non vacantia; & non reperto domino particulari, censentur esse illius Civitatis, Villæ, vel Castr. in cujus territorio, & jurisdictione sunt sita; & ex hoc videtur fundata intentio illius Reipublicæ, per fundamenta & rationes de quibus ibi per eum; & idem tenet & sequitur Jas. & istam opinionem sequor in tam dubio passu, quia videtur verior & securior in conscientia & justitia. Quibus addo; quòd esset notabile dubium, si talia bona non essent in territorio, & intra limites illius Reipublicæ, sed ita longè, quod non possit discerni an sint in territorio hujus Reipublicæ, vel alterius, quia tam inæqualiter distant ab uno quam ab alio, & omnium sunt æquè proxima, & ultra quam Civitas vel respublica prændit esse in dominio & territorio ejus: In quo articulo dico & teneo, quòd si possit constare & probari, cui loco Civitati, vel Reipublicæ magis adhæreat; illi adjudicarent; si verò non possit constare nec probari; tunc pro æquis partibus adjudicabitur utrique Civitati vel Reipublicæ; argumento textus singularis in proposito, in leg. Adeo. §. Insula. ff. de Acquir. rer. dom. text. in leg. 1. §. Si insula. ff. de Flumin. text. in §. Insula, Instit. de rerum divis. & in terminis ita tenet Bald. in cap. Cum causam de probat. 2. column. Joan. de Plat. in dict. §. Insula Instit. de rerum divis. post Dyn. quem alle-

gat: Confirmatur etiam ex sententia Bartol. & commun. in leg. Si duo. ff. Uti possideris, fin. col. ubi dicit, quòd quando plures habent & possident æqualiter aliquam rem, vel ostendunt titulum æqualem in ea; iudex pronunciat, utrumque possidere communiter, & æqualiter ad eos pertinere in proprietate & possessione & jurisdictione.

Postea verò, de civili positivo, illa constitutio juris naturalis & gentium circa ea quæ Cælo, Terra, Marique capiuntur remanet intacta & confirmata; quia etiam hodiè sunt occupantis, cum ante in nullius bonis sint; text. est in dict. leg. 1. ff. de Acquir. possess. text. in leg. 1. & per tot. ff. de Acquir. rerum domin. Quod limitata & intellige, quando in sua plena libertate capiuntur: secus verò si habeant vel portent aliqua signa contraria, ut personalia, vel similia; quia tunc non fierent occupantis; quia præsumuntur prius ab alio occupata, nec dicuntur pristinam libertatem recuperasse; ita eleganter Bartol. in tract. de Falcon. 1. column. argumento text. in leg. fin. Cod. Unde vi, & facit text. in leg. Stigmata, Cod. de Fabricien. lib. 1. 1. text. in leg. penult. Cod. de Aquæ ductu, eod. lib. (b) Ex quo etiam deducitur & inferitur, quòd si quis inveniat pecuniam, vel aliam quamlibet rem mobilem, non efficitur inventoris, imò committit furtum, si animo quærendi sibi acceperit; quia ex qualitate rerum non præsumuntur vacantes, sed in bonis alicujus; unde, tunc in conscientia & justitia debent inquirere dominum præconis voce, vel libellum in aliquo loco publico ponendo, vel aliis modis; ita probat text. singularis in leg. Falsus. §. Qui alienum. ff. de Furtis, & ibi notat & commendat Bart. Alberic. & communiter DD. Bald. post Antiquos in leg. 1. ff. de Rev. divis. 1. lectur. 6. column. n. 2. 1. & 2. lectur. 1. column. & domino non invento, tenetur inter pauperes dividere, secundum eodem.

4 Similiter etiam prædicta constitutio juris naturalis & gentium remansit confirmata circa bona immobilia; & insuper alios actus, contractus, & modos induxit, quibus dominium quæ-

apud eum qui projicit remanet, neque occupantis fit, & sine crimine neque occupari text. in leg. Quia ratione. §. fin. & in leg. Quacumque 58. tit. proximo; & in leg. Interdum 21. §. Quod ex naufragio. ff. de Acq. possess. & in leg. 2. §. fin. leg. Quæ levanda. ff. ad leg. Rodi. de Jactu. & in leg. 7. tit. 9. p. 5. & vide Bald. in §. fin. inst. de rerum divisione.

(b) Ex quo potest dubitari, si reperiat in aliquo loco servus fugitivus, an præsumatur liber, vel servus, & quid in hoc declarabit iudex? Et crederem, quòd in dubio præsumatur liber, si in forma aliorum liberorum reperiat: alias verò, si cum aliquo signo contrario; ut quia sit colore niger, vel cum alio signo particulari, præsumatur servus, & per consequens iudex inquireat de domino ejus; & ita dixi & consului in quæstione de facto.